

## CAPUT DECIMUM QUARTUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

Sicut Isaias cap. XIV, sub typo casus Luciferi describit casum regis Babylonis; et Ezechiel cap. XXVIII, sub typo casus Cherubini describit casum regis Tyri; et David Psalm. LXXI et LXXXVIII, sub typo regni Salomonis depingit regnum Christi: atque idcirco quædam dicunt quæ magis typo, quædam quæ magis anti-typo conveniant, uti solet fieri in parabolis et symbolis, ita facit et hic Zacharias. Nam sub typo afflictionis Jerusalem per Antiochum, et restitutionis ejusdem per Machabæos, describit afflictiones, restitutionem et celebritatem Ecclesie. Quocirca duplex hic est quasi sensus litteralis. Unus velut materialis, de Jerusalem et Machabæis; alter quasi formalis magisque intentus a Spiritu Sancto de Ecclesia et christianis. Nam ad litteram hic de Jerusalem et Machabæis esse sermonem, patet ex totius capituli contextu, ubi non aliud sonat quam Jerusalem, mons Oliveti, Remmon, Benjamin, Hananeel, Judas, lebetes, phialæ, etc., quæ omnia nulli alteri proprie competunt, nisi Jerusalem terrestri. Adde, quod gentes undequaque venturas dicat in Jerusalem ad celebrandum festum Tabernaculorum: hoc autem erat festum Judaicum. Ita Theodoretus, Paladius, Mariana et alii apud Eusebium lib. VI Demonst. lib. XVIII. Quod vero in Jerusalem non sistat acies Propheta, ut voluit Rabbini, sed per eam se extendat ad Ecclesiam, patet, quia multa dicit augustiora, quam ut Hierosolyma conveniant, ut vers. 4, quod scinditur mons Oliveti, et vers. 8, quod exibunt aquæ vivæ de Jerusalem ad mare Orientale, et ad mare novissimum; et vers. 14, quod omnium gentium divitiæ congregabuntur in Jerusalem; et vers. 16, quod omnes gentes quotannis ascendent in Jerusalem ad celebrandum festum Tabernaculorum, etc. Cum ergo sciamus hæc plane non competere Hierosolyma, dicendum est ea magis spectare ad Ecclesiam Christi, in eaque esse completa. Prodit ergo Zacharias Jerusalem capiendam et vastandam ab Antiocho Epiphane, sed Deum pro ea contra Antiochum præliaturum per Machabæos, ideoque seissurum montem Oliveti: hinc Deum exaltandum esse in omni terra, ac Jerusalem fore securam et gloriosam, utpote cujus hostes Deus conteret, et in quam divitiæ gentium congregabit, adeo ut gentes quotannis eam adeant ad celebrandum festum Tabernaculorum, et ad adorandum Deum. Quocirca in ea copiam fore lebetum, phialarum, oblationum, victimarum, et gentium (1).

1. Ecce venient dies Domini, et dividentur spolia tua in medio tui. 2. Et congregabo omnes gentes ad Jerusalem in prælium, et capiatur civitas, et vastabuntur domus, et mulieres violabuntur: et egredietur media pars civitatis in captivitatem, et reliquum populi non auferretur ex urbe. 3. Et egredietur Dominus, et præliabitur contra gentes illas, sicut præliatus est in die certaminis. 4. Et stabunt pedes ejus in die illa super montem Olivarum, qui est contra Jerusalem ad Orientem: et scindetur mons Olivarum ex media parte sui ad Orientem, et ad Occidentem prærupto grandi valde: et separabitur medium montis ad Aquilonem, et medium ejus ad Meridiem. 5. Et fugietis ad vallem montium eorum, quoniam conjungetur vallis montium usque ad proximum: et fugietis sicut fugistis a facie terræ: motus in diebus Ozia regis Juda. Et veniet Dominus Deus meus, omnesque sancti cum eo. 6. Et erit in die

(1) Optime utrumque hujus capituli sensum secernit Cornelius in synopsi supra posita. Absolvimus itaque in sensu allegorico expositionem de prerogativis Ecclesie Christi in duobus cap. præced. inceptam.

QUARTUM igitur impedimentum, Synagoga superstes, sublatum erit, primo, per Hierosolymæ excidium, et reipublice Judæicæ dissolutionem, 1, 2; secundo, per Ecclesiam ex gentilibus erectionem, 3, 4; tertio, per extremam Judæorum oblationem et cæcitatem, 5-7.

Provida Dei cura, gratiarum abundantia, immunitati ab impedimentis procurata, conjungetur gloria conciliata, PRIMO ex amplissimo Ecclesie statu, qui provenit,

primo, a divulgato per orbem universum Evangelio, 8; secundo, ab uno Christi in omnes imperio, 9; tertio, a dilatato regni gremio, 10; quarto, a securitate et immunitate ab interiori, 11.

SECUNDO, ex superiore præ omnibus eminentia, quam prodit et testatur, primo, adversus tantum gentium quam Judæorum profligatio, ruina ac desperatio, 12-15; secundo, ruine supersitum annua commemoratio, 16; tertio, honorem hunc detrectantium poena et afflictio, 17, 19.

TERCIO, ex sanctitatis celebritate, quam sacrificiorum magnitudo et offerentium multitudo manifestat, 20, 21.

illa: Non erit lux, sed frigus et gelu. 7. Et erit dies una, quæ nota est Domino, non dies, neque nox: et in tempore vesperis erit lux. 8. Et erit in die illa: Exibunt aquæ vivæ de Jerusalem: medium earum ad mare Orientale, et medium earum ad mare novissimum: in æstate et in hieme erunt. 9. Et erit Dominus rex super omnem terram: in die illa erit Dominus unus, et erit nomen ejus unum. 10. Et revertetur omnis terra usque ad desertum, de colle Remmon ad austrum Jerusalem: et exaltabitur, et habitabit in loco suo a porta Benjamin usque ad locum portæ prioris, et usque ad portam angulorum: et a turri Hananeel usque ad torcularia regis. 11. Et habitabunt in ea, et anathema non erit amplius: sed sedebit Jerusalem secura. 12. Et hæc erit plaga, qua percutiet Dominus omnes gentes, quæ pugnaverunt adversus Jerusalem: tabescet caro uniuscujusque stantis super pedes suos, et oculi ejus contabescunt in foraminibus suis, et lingua eorum contabescet in ore suo. 13. In die illa erit tumultus Domini magnus in eis: et apprehendet vir manum proximi sui, et conseretur manus ejus super manum proximi sui. 14. Sed et Judas pugnabit adversus Jerusalem: et congregabuntur divitiæ omnium gentium in circuito, aurum, et argentum, et vestes multæ satiss. 15. Et sic erit ruina equi, et muli, et cameli, et asini, et omnium jumentorum, quæ fuerint in castris illis, sicut ruina hæc. 16. Et omnes qui reliqui fuerint de universis gentibus, quæ venerunt contra Jerusalem, ascendent ab anno in annum, ut adorent Regem, Dominum exercituum, et celebrent festivitatem Tabernaculorum. 17. Et erit: qui non ascenderit de familiis terræ ad Jerusalem, ut adoret Regem, Dominum exercituum: non erit super eos imber. 18. Quod et si familia Ægypti non ascenderit, et non venerit: nec super eos erit, sed erit ruina, qua percutiet Dominus omnes gentes, quæ non ascenderit ad celebrandum festivitatem Tabernaculorum. 19. Hoc erit peccatum Ægypti, et hoc peccatum omnium gentium, quæ non ascenderit ad celebrandum festivitatem Tabernaculorum. 20. In die illa erit quod super frenum equi est, sanctum Domino: et erunt lebetes in domo Domini quasi phialæ coram altari. 21. Et erit omnis lebes in Jerusalem et in Juda sanctificatus Domino exercituum: et venient omnes immolantes, et sument ex eis, et coquent in eis: et non erit mercator ultra in domo Domini exercituum in die illo.

Vers. 1.  
Refellit  
tur Mos  
sia Ju-  
deorum.

4. ECCE VENIENT. — Primo, Judæi totum hoc caput referunt ad tempus Messie, quem ipsi cum omnibus hisce bonis hic a Zacharia recensitis ad litteram expectant. Verum errant: nam e 1600 annis funditus a Tito excisa est Jerusalem, templum, respublica et gens Judæorum, cujus desolatio durabit usque in finem mundi, ut ait Daniel cap. ix, vers. ult. Adde: Propheta hic dicit primo capiendam et vastandam Jerusalem, ac mediam Judæorum in ea partem ituram in captivitatem, quorum utrumque præsupponit Judæos in Jerusalem restitutum iri: non enim possunt capi et vastari, qui non sunt; ac deinde Deum pro iis pugnaturum, per Messiam sollicit, ut ipsi dicunt. Atqui hoc verum esse nequit: nam sic Judæi ante Messiam restituerentur, et obtinerent Jerusalem, in eaque florent, quod tamen ipsi negant. Dicunt enim restitutionem Hierosolymæ et Judæorum fore per vires et arma Messie; alioqui enim ante Messiam deberent ponere altum Messiam, qui Judæis Hierosolymam restitueret. Haque hic seipso elidunt Rabbini, et, ut vulgo dicitur, cornicum oculos configunt. Deinde vers. 14 dicitur: « Sed et Judas pugnabit adversus Je-

rusalem; » hoc autem de Messia eorum dici nequit. Ipse enim orietur ex tribu Juda, utpote filius et successor Davidis et Salomonis, ac cum suis contribulibus Judæis restituet Jerusalem, ut ipsi dicunt. Insuper vers. 16 dicitur, quod omnes gentes ascendent ab anno in annum in Jerusalem, et celebrent festum Tabernaculorum. Hoc autem ad litteram, ut sonat, fieri nequit, tum quia urbs Jerusalem non potest capere omnes gentes totius orbis; tum quia ipsi docent felicitatem et regnum Messie spectare ad Judæos, non ad gentes: gentes enim tunc Judæorum fore servos et mancipia, ut ipsi jam servint gentibus. Denique nonnulla, si ut sonant accipias de Jerusalem, absurda et absurda sunt. Tale est quod dicitur vers. 21: « Et erit omnis lebes in Jerusalem, et in Juda sanctificatus Domino, » sic enim tempore Messie, Judæi domi nullos habituri essent lebetes, in quibus coquerent carnes, ad quas tamen ipsi more patrum anhelant; sed omnes suos lebetes deberent consecrare Deo in templo. Quocirca vere S. Hieronymus hic ad vers. 11: « Hæc, inquit, Judæi: juxta litteram somniant: et nostri chiliastæ, qui rursus audire desiderant: Crescit



et multiplicamini; et replete terram, et pro hujus vite continentia brevique jejuniu bulbos sibi, et vulvas, et aves phasidis, et atagenem, nequam Ionicum, sed Judaicum reprimunt, de quibus vere potest Dominus dicere: Non permanebit spiritus meus in hominibus istis, quia carnes sunt, etc. Nos autem caelestem Jerusalem interpretemur Ecclesiam, quae in carne ambulans non vivit secundum carnem, cujus municipatus in caelis est. Postquam enim Dominus Jesus rex fuerit super omnem terram, de quo ad Patrem Spiritus Sanctus loquitur per Prophetam: Deus, iudicium tuum regi da, et iustitiam tuam filio regis; tunc unus Dominus erit, et unum nomen ejus, omni prava religione caecata, iuxta illud: Dominus Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra! Et alibi: Sicut nomen tuum, Deus, ita et laus tua in universa terra.

Secundo, multi censent ad litteram Prophetam hic describere excidium Jerusalem per Titum, idque in praenam Christi ab eis crucifixi, ut dixi cap. praecedenti, vers. 6 et 7. Ita Eusebius lib. VI *Demonstr.* cap. xviii, S. Cyrillus, Theodoretus, Rupertus, Valabius, Ribera, Sanchez, et propendere videtur S. Hieronymus. Verum obstant omnia sequentia. Deus enim non est preliatus contra Romanos vastatores Hierosolymae, nec restituit Jerusalem post excidium Titi, nec affectu ut omnes gentes veniant adoratum in ea Deum, et celebratum festum Tabernaculorum, cum Jerusalem post Titum per 1600 annos excisa et desolata maneat usque in hodiernum diem.

Dico ergo: Ad litteram significatur hic Jerusalem capienda ab Antiocho Epiphane, et restituenda a Machabeis, ut probavi in Proemio, idque docent Palaeus, Mariana et Castro, ipseque rei eventus, ut patet ex libris *Machab.* praesertim lib. I, cap. 1, 22 et seq.

Porro sub typo vastationis Jerusalem, depingitur hic vastatio Ecclesiae, praesertim primitivae, quae facta est a Nerone, Trajano et aliis gentilibus imperatoribus. Tunc enim templa ab eis capta et eversa sunt; fideles alii bonis, alii libertate, alii vita privati. Ecclesia enim capi et vastari dicitur, cum ejus fideles captuntur et vastantur. Ita Arias. Unde Glossa censet hic describi persecutionem Ecclesiae factam a Cosroe, rege Persarum, et ab Homar, rege Arabum: nam uterque expugnavit Jerusalem, et civis partim occidit, partim abduxit, partim tributis subiecit: quae servitus duravit usque ad Godefridum Bulonionem, qui loca sancta christianis pugnando restituit. Ita Glossa.

Anagogice, significatur hic vastatio Ecclesiae futura per Antichristum, quem Judaei recipient quasi suum Messiam. Ille enim longe gravius quam Nero, Decius alicuique tyranni in eam saeviet, uxores fidelium violabit (erit enim luxuriosissimus), omnia jura humana et divina pessum-

dabit, praesertim Hierosolymas, ubi violenter quasi tyrannus sedebit, ponetque thronum tyrannidis suae, ut disertè docet S. Joannes *Apoec.* xx, 8. Loquens enim de Gog et Magog, qui erunt milites et duces Antichristi, ait: « Et ascendent super latitudinem terrae, et circueurint castra sanctorum, et civitatem dilectam, » puta Jerusalem, in quam se recipient christiani, ut eos trucident. Unde in Jerusalem ab Antichristo occidentur Elias et Hooch, ut docet S. Joannes *Apoec.* xi, 8 et sequent. Ita Lyranus, Dionysius et alii.

Et hoc sensu vera erit sententia Judaeorum, qui dicunt haec spectare ad ultima tempora, quibus veniet Messias; sed errant, dum putant Messiam restitutum judaismum, non christianismum, ideoque Judaeis daturum bona temporalia, non spiritualia. Itaque Judaeis haec et similia loca Scripturae obijcentibus, responderè possumus, nos quoque ea intelligere de adventu Messiae; sed de primo ad litteram, de secundo analogice. Nam cum secundus Messias adventus sit futurus in fine mundi, non possunt de eo ad litteram intelligi, quae hic de restitutione et celebrata Jerusalem dicuntur, quodque quotannis ad eam venient omnes gentes celebrata festum Tabernaculorum; si enim instabit tunc finis mundi, instabit ergo quoque finis festorum hujus vite, ac consequenter festum Tabernaculorum deinceps non ad litteram, sed analogice celebrabitur in caelo.

2. EGREDIETUR MEDIA PARS CIVITATIS IN CAPTIVI. Vers. 2.

TATEM. — Qui haec de excidio Jerusalem per Titum accipiunt, ita exponunt, q. d. Media pars civium occidetur et capietur, reliqua pars fidelium monita a Propheta fugiet ex urbe, et salvabitur, ut premonuit Christus *Matth.* xxiv, 16. Ita Theodoretus et Eusebius lib. VI *Demonstr.* cap. xvii. Verum longe potior pars occisa fuit: pauci enim capti fuerunt, cum tamen Propheta hic mediam partem captam asserat. Nam Josephus lib. VII *Bell.*, cap. xvii, ait mortua fuisse Judaeorum undecies centena millia, capta vero duntaxat 97 millia. Rursum christiani non salvati sunt in urbe, ut hic ait Propheta, sed extra. Quocirca Rupertus, Ribera et alii sic explicant, q. d. Altera pars civium Hierosolymae sub Tito capietur, altera vero non auferetur ex urbe: quia in ea occiditur, aut fame et ærumnis conficitur et morietur.

Vorum jam probavi haec spectare ad excidium Jerusalem per Antiochum, non per Titum; sub Antiocho ergo haec configisse patet ex libris *Machab.*, ac nominatim ex lib. II, cap. v, 14, ubi dicitur: « Erant toto triduo octoginta millia interfecti, quadraginta millia vincti, non minus autem venundati. » Rursum, multi ex Judaeis partim metu, partim malitia consenserunt Antiocho, ideoque manserunt in urbe, caeterosque expilarunt, de quibus dicitur I *Machab.* 1, 85;

« Et congregati sunt multi de populo ad eos qui dereliquerant legem Domini, et fecerunt mala super terram: et effugerunt populum Israel in abditis, et in absconditis fugitivorum locis. » Et de his ait Zacharias: « Et reliquum populi non auferetur ex urbe, quia solliciti dederunt se Antiocho, aut certe ab eo vincuntur. Media enim pars hic non praesice et arithmetice, sed moraliter accipiendi est, q. d. Una pars civium egredietur in captivitatem, altera in urbe remanebit, vel vinceta, vel transfuga.

3. ET EGREDIETUR DOMINUS, ET PRELIABITUR CONTRA GENTES. — Hebraice נגודו baggoin, id est in gentibus; quod dupliciter accipi potest. Primo, q. d. Cum gentibus, scilicet cum Tito et Romanis, preliabitur Deus contra Judaeos. Ita Cyrillus et Theodoretus. Secundo, baggoin melius veritas in gentes, id est contra gentes, ut vertunt Noster, Chaldeus et alii; quin et Septuaginta in Editione Vaticana; nam in Complutensi habent, in gentibus. Loquitur ad litteram de praelis Machabeorum miraculosis contra Antiochum, in quibus Deus per angelos etiam visibiliter apparet, pro Juda decertare visus est, ut patet I *Machab.* cap. x, 29, et cap. xi, 8, et cap. xv, 12.

SICUT PRELIATUS EST IN DIE CERTAMINIS, — scilicet famosi illius et celebrissimi, quo contra Pharaonem decertavit, eumque prostravit in mari Rubro, ut habet Chaldeus. Quocirca Judas Machabeus suos spe opte divinae animans ad prelium, dicebat: « Mementote qualiter salvi facti sunt patres nostri in mari Rubro, cum sequeretur eos Pharaon, » etc., I *Machab.* iv, 9.

Sub hoc Machabeorum typo, parabolice significatur victoria Christi de gentilismo, q. d. Christus gentes olim Deo adversas sibi subjiciet per Evangelium, earumque peccata merget in baptismum, « sicut preliatus est in die certaminis, » id est, sicut olim in hujus rei typum decertans contra Pharaonem et Aegyptios in mari Rubro, ibidem eos demersit. Ita S. Hieronymus.

Anagogice, significatur prelium Christi contra Antichristum (hujus enim typus et praecursor fuit Antiochus, æque ac Pharaon), Gog et Magog, quos juxta Jerusalem e caelo profligabit, iniermet et deturbabit in tartara, ut docent Apostolus II *Thessal.* ii, 8, et S. Joannes *Apoec.* xx, 9 et seq. Ita Lyranus, Hugo et Dionysius. Rursum significatur lis et certamen Christi contra omnes impios in die iudicii, quos sua sententia condemnabit, suaque potentia adiget in gehennam, dicens: « Ita, maledicti, in ignem aeternum. »

4. ET STABUNT PEDES EJUS IN DIE ILLA SUPER MONTEM OLIVARUM (1). — Tertullianus lib. IV *Contra*

(1) Sequuntur imagines, quibus notatur auxilium divinum Judaeis graviter a Syris afflictis praestitum, quo fiet, ut omnia impedimenta quae libertati eorum obiecta erant, superent, sicut ab immensi hostium suorum imperio post multos exantillatos labores expellant. Complementum hujus prophetiae vide in libris *Machab.*, et in

*Marcion.* cap. xxxix, legit: *Stabant pedes ejus in Elaeone*, id est in monte Oliveti; *Dava* enim Graecis est oleum. Descendit enim Deus cum suis angelis in hunc montem, ut ex eo propugnaret Jerusalem, et Antiochi copias profligeret, ideoque pedibus suis calcando montem, eum tremefaciet et discedet, de quo mox. Dicitur hic mons Oliveti, vel Olivarum, ab libertate frequentium crescentium in eo olivarum, qui alias mons sanctus, et mons inelytus vocatur. A Jerusalem distat stadiis quinque, et ab ea valle Cedron interjacente dispescitur. Sub hoc typo significatur Christus Deus factus homo, staturus et versaturus in monte Oliveti, ibique in oratione pernoctaturus, Apostolos docturus, et passionem inchoaturus. Ibi enim orans in horto captus est, sicut ex eodem quasi rex et Messias, triumphans ingressus est urbem cum ramis olivarum in die Palmaram. Ex hoc quoque gloriosus coram suis discipulis ascendit in caelum, *Actor.* xv. In monte ergo Oliveti caput et consummavit, uti redemptionem nostram, ita et Ecclesiam suam. Ibidem enim ascendens jussit Apostolis, dixitque: « Eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judea, et Samaria, et usque ad ultimum terrae, » *Actor.* i, 8.

Quocirca mons Oliveti symbolum est Ecclesiae et gentibus Christo obedientibus collectae, in qua stant et requiescent pedes Christi: olea enim dicitur, subjectionis, obedientiae, reverentiae et cultus est hieroglyphicum. Olim enim cum populi se principi cupiam debebant, praetendebant ramos olivae, quasi pacem petentes, ut docet Servius in *Æsod.* VIII; unde noster Martinus de Rota lib. IV *Songul.* cap. v, hujus loci hunc dat sensum, q. d. Montes olivarum, id est Romani qui totius orbis imperio potenter, ad Jesu Christi pedes se abjiciunt, cum eum respuent Judaei. Ita S. Ambrosius in cap. xxi *Lucæ*, et Eusebius lib. VI *Demonstr.* cap. xviii, docent Ecclesiam in Olivarum monte significatam. Haec de causa Christi crebro in monte hoc oravit et versatus est, ex eoque ascendit in caelum, ut significaret in Ecclesiam gentium se transilurum, ac in eam misericordiam suam et munera diffusurum. Sic *Psalm.* Lx, 40, dicitur: « Ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei, speravi in misericordia Dei in aeternum, q. d. Divites sperant in suis divitiis, uti praecessit: at ego spero in misericordia Dei, illi ramos olivae praetendo; meque supplicem ad illius pedes abjicio, illi me deolo, illum pronus adoro: victum me illius magnitudine confiteor, manus do; ideoque veniam et misericordiam, quae supplicibus debetur ac victis, consecuturum me non dubito. Addit vero « in aeternum, » quia oliva aeternitatis est symbolum, teste Pierio: tales autem esse debent qui se Deo dant, ut in vite ratione perseverent, eorum dis-

Symbolum est Ecclesiam Gentium, quae populi se principi cupiam debebant, praetendebant ramos olivae, quasi pacem petentes, ut docet Servius in *Æsod.* VIII; unde noster Martinus de Rota lib. IV *Songul.* cap. v, hujus loci hunc dat sensum, q. d. Montes olivarum, id est Romani qui totius orbis imperio potenter, ad Jesu Christi pedes se abjiciunt, cum eum respuent Judaei. Ita S. Ambrosius in cap. xxi *Lucæ*, et Eusebius lib. VI *Demonstr.* cap. xviii, docent Ecclesiam in Olivarum monte significatam. Haec de causa Christi crebro in monte hoc oravit et versatus est, ex eoque ascendit in caelum, ut significaret in Ecclesiam gentium se transilurum, ac in eam misericordiam suam et munera diffusurum. Sic *Psalm.* Lx, 40, dicitur: « Ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei, speravi in misericordia Dei in aeternum, q. d. Divites sperant in suis divitiis, uti praecessit: at ego spero in misericordia Dei, illi ramos olivae praetendo; meque supplicem ad illius pedes abjicio, illi me deolo, illum pronus adoro: victum me illius magnitudine confiteor, manus do; ideoque veniam et misericordiam, quae supplicibus debetur ac victis, consecuturum me non dubito. Addit vero « in aeternum, » quia oliva aeternitatis est symbolum, teste Pierio: tales autem esse debent qui se Deo dant, ut in vite ratione perseverent, eorum dis-

Josephi *Archaeolog.* lib. XII, cap. vii; lib. XIII, cap. i. viii. (Ackermann.)



similes qui ad tempus erudunt, et in tempore tentationis recedunt. Ideo Paulus *Rom. xi, 17*, gentes dicit ex oleastro factas olivas, quia fidem quam semel accepit Ecclesia Gentium, nunquam deseret, nec a Christi religione deficiet, ut defecerunt Judaei. Sic *Psalm. cxxvii* dicitur: « Filii tui sicut novellae olivarum in circuitu mensae tuae, » *g. d.* Suscitabo tibi filios subjectos et obediens, aeque ac inter se concordēs et pacificos; oliva enim subjectionis et pacis est symbolum, ut dixi. Plures analogias olivae et Ecclesiae animaeque sanctae, recensui *Jerem. xi, 16*.

Anagoge, significatur Christus in monte Oliveti disturbaturus Antichristum, cum ipse instar Christi ex eodem volet in caelum conscendere. Ita S. Hieronymus in *Daniel. xi*, Damascenus lib. *IV De Fide*, cap. *xxvii*, Anselmus in *II Thessal. ii*, Lyranus, Hugo et Dionysius. Rursum in die iudicii cum omnibus angelis descendet in montem Oliveti, qui imminet valli Josaphat, ut ibi iudicet, et disceptet cum omnibus gentibus, ut ait Joel cap. *iii, 2*.

QUI EST CONTRA JERUSALEM AD ORIENTEM. — Alludit ad ascensionem Christi: Christus enim in monte Oliveti ascendit in caelum, ut ex vinea Judaeorum sylvestris ostenderet se fecisse olivum, id est Ecclesiam fertilem oleis, id est sanctis, piis, misericordibus, lucidis et Spiritu Sancto impinguatis. Ita Eusebius lib. *VI Demonstr. cap. xviii*; unde ait: « qui est contra, » vel oppositus veteri « Jerusalem, » et Synagoga « ad Orientem; » quia Ecclesia praelata est Synagoga et propinquior facta solis justitiae, id est Christo, ut ejus orientis primos radios fidei, gratiae omniumque charismatum excipiat, ita ut ejus respectu Jerusalem esset ad Occasum: quo significabat Synagoga exaerandam esse, ideoque ruituram in adventu Christi. Hinc et Christus facie aversa a Jerusalem, spectans Occidentem, crucifixus est, indeque ex Apostolorum institutione christiani orant conversi ad Orientem, et templa respiciunt Orientem, in quibus imago Christi crucifixi Occidentem prospicit, quam qui adorant necessario Orientem spectant. Ita Damascenus lib. *IV De Fide*, *xiii*, et alii. Pari modo Christus in monte Oliveti ascendit in caelum, facie a Jerusalem aversa (ut ex vestigiis pedum ejus lapidi impressis, quae etiamnum visuntur, liquet), conversus ad Occidentem, et Romanam spectans Ecclesiam, ad quam ipse S. Petrum Vicarium suum et S. Paulum doctorem gentium misit, ut eo sedem Ecclesiae transferrent. Ita Adrichomius in *Descript. Terrae sanctae*, agens de monte Oliveti.

Nota: Olim extra Jerusalem siti erant duo montes oppositi, scilicet ad Orientem mons Oliveti, cui ex adverso ad Occasum oppositus erat mons Calvariae, in quo crucifixus est Christus, qui olim erat extra urbem, sed jam est intra eam. In ipsa vero urbe erant duo vicini montes, scilicet Sion respiciens Austrum, in quo erat arx

David, et Moria respiciens Septentrionem, in quo aedificatum est templum. Inter hos duos montes erat brevis vallis domibus civium referta, quae Mello et Tyropæon est dicta.

ET SCINDATUR MONS OLIVETI. — S. Hieronymus, Cyrillus, Theodoretus, Burgensis, Palacius, censent hanc scissionem fore quadrifidam in modum crucis, ad quatuor mundi plagas, ita ut mons Oliveti scindatur primo ab Oriente in Occidentem, deinde duae illae partes disscissae rursum scindantur ab Aquilone in Meridiem. Verum Chaldeus, Eusebius, Lyranus, Vatablus, Ribera, Sanchez et alii censent eum scindendum in duas duntaxat partes, scilicet versus Orientem et Occidentem per medium, ita ut una pars scissi montis vergat (unde pro *separabitur*, Septuaginta vertunt *inclinabit*; Tigurina, *deflectet*; Pagninus, *cedet*) ad Austrum, altera ad Aquilonem, et inter utramque media sit praerupta vorago, sive vallis profunda, quae conjungatur valli Josaphat, sive Cedron, indeque valli montis Sion, ita ut Judaei qui fugient ex Sion et urbe per vallem Josaphat, transiuri sint per vallem factam in monte Oliveti disscisso.

Quaeres, quando et quomodo contigit haec montis Oliveti scissio? Qui putant agi hic de ob-  
sione et excidio Jerusalem per Titum et Romanos, varie haec exponunt. Aliqui enim per scissionem montis Oliveti parabolice accipiunt schismata et seditiones Zelotiarum aliorumque Judaeorum in urbe. Alii, ut Theodoretus, censent montem Oliveti vocari exercitum Romanorum, qui eum montem occupavit: divisum vero montem dicit, quia ad alia civitatis loca obsidenda et oppugnanda divisus fuit Romanorum exercitus, eo quod urbs versus montem Oliveti, ob vallem sive voraginem Cedronis interjectam, difficilior esset aditu et expugnata. Noster vero Sanchez tripliciter exponit: *Primo*, suspicatur in obsidione Romanorum, montem Oliveti ingenti terae motu revera fuisse divisum, etiamsi id non dicit Josephus, nec ulla historia, sicut nec meminerunt terae motus sub Oza, quem tamen contigisse docet hic Zacharias. *Secundo*, castra Romanorum in monte hoc ita a Tito fuisse disposita, ut ab Oriente in Occidentem patenter et porrigerentur, atque hinc inde ad Aquilonem et Meridiem duas partes relinquerent, praeruptum vero grande esse vallem Cedron, quam etiam occuparunt Romani: vallis enim nil aliud est quam montium scissura, *g. d.* Cedronis profunditas non munit Judaeos, nec impedit Romanos, quominus urbem invadant et occupent; quia omnia suo mille complerent. *Tertio*, *g. d.* Titus profundissimam voraginem Cedronis, quae inter urbem et castra sua in monte Oliveti sita interjacebat, urbemque munitabat, comportatis aggeribus ita implebit et complanabit, ut per eam facilis militibus ad muros invadendos sit accessus. Id enim eum fecisse in aliis vallibus, docet Josephus lib. *VI Belli*, cap. *iv*

Et in ipsa Cedronis valle aggeres esse constructos et muros docet idem Josephus lib. *VI*, cap. *xiii*. Favent Septuaginta, qui dicunt vers. 3, obturatum esse vallem montium: scissum ergo dicit montem Oliveti, quia ex illo Romani praeciderunt saxa, caequae cum terra devolverunt in subjectam vallem Cedronis, isque eam impleverunt. Quocirca ait Propheta: « Fugietis, » o Judaei, « ad vallem montium meorum, » id est in urbem, ad spatium quod inter montem Moriam et montem Sion (ubi erat templum Dei) interjacet: « quia conjungetur vallis montium, » id est vallis Cedron, quae inter montem Oliveti et montem Sion interjacet, « usque ad proximum, » scilicet montem Oliveti: Titus enim muro cinxit civitatem, ducto per Cedronem ad montem usque Oliveti. Verum solum decima legio Romanorum constitit in monte Oliveti, qui erat ad Orientem urbis: reliquis vero Titi exercitus obsedit urbem ex parte septentrionali, in loco qui dicitur Sapha, vel Sopos, situsque erat ex opposito duarum turrium, quae vocabantur Psephina et Hippicus, uti diserte ait Josephus lib. *VI Belli*, cap. *v*. Itaque Titus obsedit urbem plane juxta montem Calvariae. Hic enim erat pene ex adverso Psephinae, ubi Judaei crucifixerunt Christum, ut notat Adrichomius in *Descriptione Jerusalem*, et alii; ut Judaei cognoscerent Titum advenisse ad hoc, ut esset necis Christi ultor, ibique eos plecteret, ubi ipsi Christi paricidium, imo deicidium commiserant. Tandem vero Titus, ut celerius urbem occuparet, eam circumcirca cinxit muro, in quo 40 castella constituit, idque opus perfecti spatio tridui, itaque Judaeos ad famem et extrema adegit. Quare non est verisimile ipsam vallem Cedronis implese et complanasse. Josephus enim lib. *VI*, cap. *iv*, tantum ait eum complanasse vallem, quae erat inter castra sua sita in Scopo, ad Septentrionem; non vero vallem montis Oliveti, quae erat ad Orientem. Deinde Titus totus fuit in muro urbi circumducendo, isque unus occupabat milites omnes. Murus enim hic in circuitu erat 39 stadiorum, hoc est quinque pene milliarium, uti ait Josephus. Adde non agi hic de tempore Titi et Romanorum, sed Antiochi et Machabeorum, ut dixi initio.

Dico ergo ex hoc loco videri, quod tempore Antiochi et Machabeorum fissus sit mons Oliveti, dum Deus cum angelis in eum descendit, etsi id non narretur in libris *Machab.* nec alibi; sicut non narratur in libris *Regum* terae motus qui contigit sub Oza, et alia multa. Itunc sensum exigunt verba ipsa, et temporis ratio: de Machabeorum enim aevo hic agitur: ita a Castro, et Paulus a Palacio, qui ita scribit: Credo hanc prophetiam impletam ante Machabeorum victorias, quando multa signa visa in caelo sunt, scilicet equites per aera discurrentes, cohortes armatae, cursus eorum, II *Machab.* v. Haec enim cohortes erant angelorum, cum quibus veniebat Dominus in spe-

die visibili: veniente ergo Domino, tremuit mons (nam cum egreditur Deus, terra movetur et concutitur, *Psalm. lxxvii*, 9). Ex tremore vero discissum est in quatuor partes, significans discessionem et divisionem Judaeorum ex patria sua in quatuor mundi plagas. Haec Palacius.

Porro scissio haec montis fuit typus scissionis ejusdem in fine mundi, ut mox dicam; sed inter alia representabat praesentes, tum fugas, ob instantes ab Antiocho clades; tum scissiones et schismata Judaeorum, dum alii Machabaeis adhererent, alii Antiocho: rursum alii Antiocho et Syris, alii Ptolemaeo et Aegyptiis faverent.

Simili modo sub Constantio imperatore, et S. Cyrillo patriarcha Hierosolymitano, anno Domini 353, cruci sole fulgentior pleno die caelitus apparuit supra montem Oliveti (et forte eo quoque allusit hic Zacharias) eum quasi signans et instar crucis secans, ut representaret schisma Ecclesiae quod faciebant Ariani, et Constantianorum fautores moneret S. Crucis, et Crucifixum Dei Filium Patri *Spasione* esse adorandum ut verum Deum, ut eum adoraret illius pater Constantianus, qui proinde per vexillum crucis divinas de Maxentio alisque hostibus victorias obtinuit; quasi Christus ex alto orthodoxos a Constantio vexatis intonaret: Confidite, ego vici mundum cruce, et vos eadem vincetis Arianos. Quocirca tota civitas hoc crucis signo excitata ad ecclesiam ecurrat, Deum Deique Filium laudans et celebrans; quin et multi Judaei ad Gentiles, viso hoc radiante in caelis crucis signo obstupuerunt, et ad Christum conversi sunt. Rem gestam et a se visam fuse perscribit S. Cyrillus ad Constantium imperatorem in fine *Catech. mystag.* Eadem brevis sic narratur in *Aetis Artemii martyris*, die 19 octobris, apud Surium: « Quo quidem tempore, cum expugnatus esset Magnentius, signum crucis maximum mirifice apparens, adeo ut mirabili splendore superaret lucem diei, visum est Hierosolymis circa tertiam diei horam, cum esset dies festus qui dicitur Pentecoste, perlingens a loco qui dicitur Calvaria, usque ad montem Oliveti. » Sic et Sozomenus lib. *IV*, cap. *iv*; Soerates lib. *II*, cap. *xxiv*, et ex iis Baronius anno Domini 353.

Similis fuit Christi apparitio in monte Oliveti, anno Christi 419, quam ex Marcellini chronico ita recenset Baronius: « Anno Christi 419, multa Palaestinae civitates villaeque terae motu collapsae sunt. Dominus noster Jesus Christus semper ubique totus, super montem Oliveti Hierosolyma vicinum sese de nube manifestavit. Multae et tunc utriusque sexus vicinarum gentium nationes tam visu, quam auditu perterritae atque credulae sacro Christi fovele ablute sunt, omniumque baptismatorum in tunicis crux Christi salvatoris, divinitatis nulu extemplo pressa refulsit. Cujus rei adeo admirabilis occasione, de tempore adventus Domini ad judicandum cepti sunt ubique misceri

Jerusalem obsessa iuxta montem Calvariae.

Tertio et quatuor.



sermones, quod ex Danielis propheta vaticinio, cap. vii. jam prænuntiatus esset adventus filii hominis in nubibus; et Zacharias, cap. xiv., de ipso loco adventus ejus super montem Oliveti prædixerat. Et angeli de Christo in monte Oliveti in cælum ascendente Apostolos prænuntiarunt: Quemadmodum vidistis eum euntem in cælum, ita veniet. Cujus occasione scripsisse videtur Hesychius epist. 79. ad S. August., de Novissima die, quæ, cum præcessissent tot signa (ut ait), jam videtur instare. Cui respondens S. Augustinus epist. 70, prolixè disputat de novissimi diei tempore. » Sicque Baronius occasione Melanias junioris, quæ eodem anno seorsim a conjuge Piniano vitam egit monasticam, ac in cella apud montem Oliveti per 14 annos clausa perseveravit, dixitque in angusto loco vitam angelis similem.

Similis fuit in eodem monte apparitio montis belli sacri, qua christiani animati Hierosolymam expugnaverunt. Rem gestam narrat Wilhelmus Tyrinus lib. VIII *Belli sacri*, cap. xvi., defatigatis christianis in oppugnatione Hierosolymæ, ideoque dilabentibus: « Ecce, ait, adfuit rebus desperatis virtus divina. Nam de monte Oliveti miles quidam, qui tamen postea non comparuit, splendidi et refulgentem ventiliando clypeum, signum dabat nostris legionibus ut redirent in idipsum, et congressum iterarent. Quo signo exhilaratus dux Godefridus Bullonius, primus in mœnia conscendit, quem alii secuti, illico ejus jussu effregerunt portam S. Stephani, per quam totum in urbem induxerunt christianorum exercitum. » Itaque a christianis capta est Hierosolyma anno Domini 1099, die 13 julii, feria sexta, qua Christus moriens de morte triumphavit. Juxta oraculum viri sancti, qui habitans in monte Oliveti prædixerat urbem illo die esse capiendam, ait Tyrinus cap. xvii. Unde et ante oppugnationem urbis, christiani nudis pedibus cum multa devotione, cantantes litanias cum crucibus processerunt usque ad montem Oliveti, ait idem cap. xi. Ad has similesque apparitiones respexisse hic Zachariam, vel potius Spiritum Sanctum probabile est. Unde mystice Lyranus hinc Zacharias loquum explicat de capta Jerusalem a Godefrido Bullonio et christianis: urbis enim capiendæ signum eis datum est a monte Oliveti, ut jam dixi ex Tyrino.

Denique nonnulli hæc conditionale exponunt, q. d. Deus ita tutelabit vos, o Hebræi, ut si opus sit ad vestram tutelam findere montem Oliveti, ut per eum manus hostium effugiatis, id revera facturus sit, sed tanto molimine non erit opus: poterit enim ipse mille aliis modis vos protegere. Simile est *Isaie xi, 13, et Zachar. x, 41.* Ita a Castro.

Alibi, jam parabolice et quasi allegorice, mons Oliveti est Ecclesia, ait Eusebius lib. VI *Demonstr.* cap. xviii. Hic scissus est, cum ibi a Christo ascendente jussi sunt Apostoli ire in mundum univer-

sus, et prædicare Evangelium omni creature, indeque in quatuor mundi plagas dividerent et sparsissent se, Christo fidem et Ecclesiam. Rursus scissio hæc montis denotat commotionem et contritionem gentium, audito Christi Evangelio, juxta illud *Lucæ iii, 5*: « Omnis vallis implebitur, et omnis mons et collis humiliabitur, et erunt prava in directa, et aspera in vias planas. » Sed earum pars una mansit ad Aquilonem, id est in suo infidelitatis et impietatis frigore persistit: Aquilo enim rigidus significat frigidus, ac ex infidelitate et peccato torpentes, altera vero ad Austrum vergens significat fideles, qui calenti charitate et ferventi Spiritu Dei: Auster enim est calidus. Hujus rei symbolo vidit Ezechiel gloriam Dei, id est Deum gloriosum sedentem in curru Cherubico, et quatuor Cherubim stipatum ex templo Judaico evolare in montem Oliveti. Sic enim ait cap. xi, 23: « Et ascendit gloria Domini de medio civitatis, stetitque super montem qui est ad Orientem urbis, » puta supra montem Oliveti, ut ex hoc monte expectet et spectet novam Jerusalem, quasi phœnicem ex veteris cineribus resurgentem in Sion, puta Ecclesiam Christi, ut ibidem dicit. Porro Glossa per scissionem montis Oliveti accipit schisma Græcorum a Latinis: ad Orientem enim habitant Græci, qui divisi sunt a Latinis habitantibus ad Occidentem. Unde ait: « Et fugietis, » id est fugere debetis ad obedientiam Ecclesie Romanæ, cujus montes magni, scilicet SS. Petrus et Paulus, sunt patroni.

Anagogice, findetur mons Oliveti, cum Antichristus ex eo volet in cælum conscendere: nam a Christo deturbatus corruet, et terra, puta mons dehiscent, rivum eum absorbebit, ut dixi *Thessal. ii, 8.* Hoc est quod ait S. Joannes *Apostol. xix, 20*: « Apprehensa est bestia (puta Antichristus), et cum ea pseudopropheta, etc. Vivi missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis sulphure. »

Rursus in die judicii, Christus iudex descendet in montem Oliveti: unde tunc eum sna majestate et potestate, ingenti terræ motu concutiet, ut ipse quasi præ horrore et veneratione Christi judicis contremiscat; simul ut hoc terræ motu se findat, ampliisque vallem Josaphat, ad capiendum omnes homines iudicandos ibidem a Christo. Si enim Deus daturus legem, in Sina descendens concessit montem, *Exod. xix*, multo magis id faciet descensus ad iudicium. Idipsum deserte docet S. Clemens Romanus lib. VII *Constitut. Apostol.* cap. xxxiii: « Mons ipse, ait, Oliveti glorie venientis cedet, et in quatuor partes dissectus, longissime diffugiet, ut tribunal judicii theatrum totius orbis assistat. Repudiatio vero hominum tanta erit, ut insani diffugiant in median vallem, quæ futura est amplissima; cum montibus remotis conjungenda sit cum omni circumposito campo. » Hoc sane verbis Zacharie valde congruit. Ita inter alios Emmanuel. Sa, et

Josephus a Costa lib. IV *De Tempor. motib.* cap. xiii et xiv, et Leonardus Lessius lib. XIII *De Divinis attrib.* cap. xxi, in fine: « Indicat, inquit, Zacharias montem Olivarum (juxta quem vallis Josaphat) scindendum in quatuor partes, ut fiat maxima planities, in qua excipiantur judicandi. » Insuper hæc scissio montis representabit separationem Australium, id est ferventium et electorum ab Aquilonaribus, id est frigidis et reprobis. Illi enim erant Orientales, quia orientur et lux et gloria sempiterna: hi vero erant Occidentales, quia ibunt in occasum et mortem æternam.

PERRUPTO GRANDI VALDE, — id est magna voragine, ut vertunt Septuaginta; vel valle, ut Chaldaei, quæ ex scissione montis profunde patecet, et bibit. Parabolice hic hiatus significat Hierosolymæ ruinam et desolationem, quando Apostolus abeuntibus ad gentes, Judei infideles paulo post a Tito vastati, in profundum quasi barathri demersi sunt, juxta Dei vindictam.

Anagogice, significat hiatus grandem montis Oliveti et vallis Josaphat futurum in die judicii, quo reprobos omnes ibidem consistentes dehiscentis terra mittet in tartara. Hiatus ergo hic et vorago erit profundissima: nam a valle montis Oliveti extendet se usque ad infernum, qui est in centro terræ. In die ergo judicii proprie et plane adimpleritur hæc propheta, sicut fissura montis Oliveti, et vorago ingens usque ad tartarum, ita ut in ipsum prospiciant non tantum reprobi, sed et electi Dei, quædeantque mirifice quod horridum illud ignis barathrum, in quo videbant tot impios demergi, per gratiam Christi evaserint. Hanc voraginem horribilem in spiritu vidit S. Carpus, eamque ex ore ejus ita describit S. Dionysius Areopagita epist. 8 ad *Demophilum*, dicens: « Referebat (Carpus) se vidisse domum in qua consistebat, prius vehementer agitari, ac demum a summo culmine per medium dividi, etc. Ipsum quoque solum instar vasti tenebrosi cujusdam profundum, discussum se vidisse ait, atque viros illos quibus mala imprecatus fuerat, ante se ad os illius profunde voraginis stare trementes ac miserabiles, et qui ab ipsa pedum suorum labilitate jam mergendi viderentur. Porro ab inferiori parte voraginis serpentes cernebat emergere, qui circa illorum pedes ita instabiles ac nutantes, interdum quidem in globum colligi, et gravari una atque pertrahere, interdum vero dentibus et caudis, ore, gutture, linguis, ac toto corporis motu vim immensi pavoris viderentur incurrere, ut qui modis omnibus deorsum illos precipitare niterentur. Fuisse autem et viros quosdam in medio, qui contra eos una cum serpentibus impetum facerent, exagitantis una et impellentis, atque ferientes: videbantur autem illi lapsi proximi, » etc.

VERS. 5. 3. ET FUGIETIS AD VALLEM MONTIUM EORUM. — Hebræus, Septuaginta et S. Hieronymus in *Comment.*

legunt, *meorum.* Unde et in Latinis ita legendum videtur. Nota est in valle: physice enim in terræ motu consilium et remedium est, fugere ad vales et ima; hæc enim minus quam montes terræ motu quantantur. Porro hujus loci sensus est is quem dedi vers. 4.

QUONIAM CONJUNGATUR VALLIS MONTIUM ESQUE AD PROXIMUM, — hebraice usque ad *Yan atsal*, quod quasi nomen proprium accipitur et relinquunt Septuaginta, Chaldaei, Aquila, Theodotion, Vatablus et Pagninus. Verum Noster, Symmachus et alii vertunt ut appellativum, usque ad proximum; alii, usque ad separatam, scilicet a terræ motu, ideoque securum locum (1).

Jam varii varie hæc exponunt. Duce expositiones sunt probabiliores. Prior, q. d. Ut effugiatis Antiochum, et hostes obsidentes et invadentes Jerusalem, fugietis per vallem Josaphat et Oliveti (montem enim Oliveti hæc de causa findet Deus, ut per ejus scissuram et vallem contiguum fugere possit: unde ea vocatur vallis montium, scilicet jam divisorum. Mons enim Oliveti per hæc scissionem dividetur in duos, vel, ut alii, in quatuor montes) usque ad Atsal, ubi ab hoste securi tutique eritis. Ita a Castro, Figurina et Arias. *Posterior*, q. d. Ut fugiatis et effugiatis hunc terræ motum, quo concutietur et scindetur mons Oliveti, fugietis in vallem montium meorum, puta in vallem Mello, sive Tyropeæ, quæ interjacet inter montem Sion et montem Moria: hi enim sunt montes mei, quia in Moria habeo meum templum, in Sion meam arcem David: « Quoniam conjungetur vallis montium usque ad proximum, » q. d. Quia vallis, id est, vorago illa facta in monte Oliveti jam diviso (quæ proinde jam non est vallis unius montis, sed duorum, aimirum montium jam divisorum) pertinget ad montem sibi proximum, puta ad Moriam. Unde in tota valle Josaphat usque ad Moriam, a terræ motu et scissura hæc tunc eritis: fugietis ergo post montem Moriam ad vallem Mello, ac hoc terræ motu liberam, ut ibi tuti sitis. Ita S. Hieronymus, ut, Aut Lyranus: Quia vallis montium, id est vallis Josaphat, quæ interjacet inter montem Oliveti et montem Sion, conjungetur usque ad proximum, scilicet hiatus factum in monte Oliveti. Unde in eo sine metu et periculo non eritis: ad illam ergo fugere non audebitis: fugietis ergo ad vallem montium meorum, id est interjectam inter Sion et Moriam, qui sunt montes mei. Hinc expositioni favet id quod sequitur: « Et fugietis sicut fugietis a facie terræ motus in diebus Ozæ: » fugietur ergo erant non hostes, sed terræ motum; ac proinde fugietur non

(1) Videtur, inquit Rosenmüller, nomen proprium loci cujusdam ad orientem Urbis esse. Hieronymus pro appellativo habuit, veritate, usque ad proximum; Symmachum, ut ipse fatetur, secutus, significatione petita ab adverbio *אצל* *etsel*, *prope*. Sed reliqui veteres si *Syrum* excipias, pro nomine proprio habuerunt, quod sane verborum digitat fluxus.



in ipsam scissuram montis Oliveti, hoc terre motu factam, sed prout ab ea in vallem Sionis et Moria, que omnino immunis erat a terre motu.

**Symbolice,** hæc fuga in terræ motu adumbrat fugam Machabeorum et Judæorum ad sylvas et speluncas in terræ motu, id est in persecutione Antiochi, de qua I *Machab.* II, 28.

**Parabolice,** hæc accipit de obduratione Judæorum, q. d. Cum mons Oliveti, id est Ecclesia Christi, spargetur in quatuor mundi plagas, tunc vos, o Judæi increduli, ab Evangelio, Christo et Ecclesia fugietis, non quidem ad idololatriam et gentilianismum, sed ad vallem umbratam montium meorum, hoc est, ad cultum, umbras et cæremomas legis veteris, quæ viguit in monte templi, puta Moria et Sionis, qui olim fuerunt montes mei. Ita Eusebius lib. VI *Demonstr.* cap. XVIII: « Que, ait, potest esse vallis montium Dei, nisi quæ olim celebrabatur ex lege Mosis et Jerusalem, corporalis et Judaica adoratio? » Sic et Stunica, Ribera et alii, qui contendunt hunc sensum esse litteralem: ego litteralem fateor, sed typicum et parabolicum, precedenti quem assignavi innixum, ut dixi initio capituli. Unde sequitur: « Quoniam conjungetur vallis montium usque ad proximum, » q. d. Hæc vallis, id est hæc umbrosa, sed obstinata Judæorum religio, tanto arctius conjungat se vicino sibi templo templique ritibus, quanto magis videbit spargi et propagari Ecclesiam Christi. Aliter Emmanuel Sa, q. d. Hic cultus legis veteris Judæis tenacissime conjungetur, et adharebit proxime ubique degant.

**Nota:** Pro נַסְתָּם *nastem*, id est fugietis, a radice נָסַת *nastam*, id est fugit, Septuaginta aliis punctis legentes נַסְתָּם *nastam*, a radice נָסַת *nastam*, id est clausit, obturavit, vertunt: *Et obturabitur vallis montium meorum, et adjungetur vallis montium usque ad Asal.* Sic et Chaldaeus. Quod ad litteram sic accipi posset, q. d. Scindetur mons Oliveti, et hæc scissione corruet, et complanabit totam subjacentem vallem Josaphat, usque ad proximum montem Moria. Parabolice vero sic explicat Eusebius, q. d. Hæc vallis umbrosa Judaica religionis obturabitur, id est cessabit et obscurabitur a luce Evangelii, ejusque umbra cedit veritati Christi: quoniam conjungentur ad Asal, id est ad montem Oliveti (inde enim Christus misit Apostolos ad Judæos et gentes) qui dicitur Asal, id est opus Dei, quasi a radice נָסַת *asa*, id est fecit, וְאֵל *el*, id est, Deus. Verum melius legit Noster, *nastem*, veritatem, fugietis, quæ sequitur: « Sicut fugietis a facie terre motus in diebus Ozia. » Et quia præcessit: « Scindetur mons Oliveti; » scissione enim mons apertus fuit, non obturatus.

**Sicut fugietis,** — q. d. Ea trepidatione, celeritate, turba et conflitu fugietis, qua fugietis a terre motu qui contigit tempore Ozia; de quo dixi *Amos* I, 4.

ET VENIET DOMINUS DEUS NEUS, OMNESQUE SANCTI EUM EO. — Replicat et inculcat quod dixit vers. 3: « Et egredietur Dominus, et præliabitur contra gentes illas, et stabunt pedes ejus in die illa super montem Oliveti. » Loquitur ergo ad hiterram de descensu Dei, quod descendit præliaturus pro Judæis per Machabeos contra Antiochum, eumque prostriturus, ut dixi vers. 3. Porro cum bellum fidelium est difficile, et victoria illustris, tunc dicitur Deus descendere cum omnibus sanctis suis, puta angelis: quia omnes ei assistant, ut pro eo decerent; hinc vocatur Deus exercituum. Ita vidit Ezechiel cap. I, Deum curru bellico vectum, stipatum quatuor Cherubim descendere in aciem contra Judæos, ut eos plecteret per Chaldaeos. Et Psaltes *Psal.* XVII, graphice describit Dei in prælium contra suos hostes descendentis majestatem, milites, iras, animos. Et inter alia ait vers. 41: « Ascendit super Cherubim et volavit, volavit super pennas ventorum. » Et vers. 45: « Misit sagittas suas, et dissipavit eos: fulgur multiplicavit, et conturbavit eos. » Simili terrore, pompa et satellite descendit in Sina daturus legem Hebræis, pro eisque contra gentes præliaturus, *Deuter.* XXXIII, 2: « Dominus de Sinai venit, etc.: apparuit de monte Pharan, et cum eo sanctorum millia. » Jam sub typo prælii divini gesti per Machabeos, parabolice intelligit prælium spirituale Christi gerendum per Apostolos, q. d. Veniet Christus qui per Apostolos debellabit omnes gentes, easque sua fidei et Evangelio subjugabit. Ita Theodoretus, Vatablus, Arias, et Eusebius lib. VI *Demonstr.* cap. XVIII.

**Anagogice** et maximo, significatur hic descensus Christi ad iudicium universale, cum omnibus angelis et sanctis in montem Oliveti supra vallem Josaphat, ut Antichristum omnesque impios condemnent et puniant. Hinc enim alludens Judas in sua *epist.* vers. 14 ait: « Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis facere iudicium contra gentes. » Et Christus *Matth.* XXIV, 30: « Et videbunt Filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multa et majestate, et mittet angelos suos. » Et cap. XXV, 31: « Cum venerit Filius hominis in majestate sua, et omnes angeli cum eo. » Ita S. Hieronymus, Cyrillus, Remigius, Hugo, Lyranus, Ribera, Sanchez, et alii passim, qui contendunt hunc sensum esse litteralem: ego censeo esse anagogicum, sed maxime intentum a Spiritu Sancto: litteralis enim est de Machabeis, parabolicus de Apostolis, ut ostendi initio capituli.

6. NON ERIT LUX, SED FRIGUS ET GELU. — Ita et Septuaginta, Chaldaeus et Tigurina: videntur ergo in hebreo legisse כי קרות *ki karot*, id est *sed frigus*, vel potius קרות *vekarot* (facile enim *vau* si decurletur, vertitur in *od*, et *vau* sæpe est adversativum significans *sed*, ut crebro est videre in *Proverbiis Salom.*), id est *sed frigus*, vel frigora: radix enim קר *kar* significat frigescere. Jam legitur קרות *ekarot*, id est *pretiositatum*: קר

*takar* enim significat esse pretiosum, decorum, eximium. Unde variant: *Non erit lux pretiositatum*, id est pretiosa, clara, eximia, קריתון *rekipanon*, id est et (id est *sed*) *concretionis*, id est concreta, densa: hoc est, in illa die non erit lux clara, neque obscura, sed mixta, nabilia et maligna, qualis est diluculo, q. d. In illa die non erit plena lætitia, nec plena tristitia, sed læta tristibus miscébuntur: at vesperæ succedent plena felicitas et lætitia. Eodem fere redit versio nostra et Septuaginta. Sensus enim est, q. d. In illa die non erit lux clara et amena, qualis est in estate; sed concreta nebulis frigidis, et quasi congelata, idcirco molesta et tristis. Unde Paginius vertit: *In die illa non erit lux pretiosa, et (sed) lux coagulata*: Arabice vero Alexandrinus: *Erit nix et grandis (frigus et procella) in una die. Et apparebit (revelabitur) Dominus in illa die: Et non erit lux in illa die, neque nox, neque vespera.* Ad litteram denotatur tempus calamitatis et afflictionis Judæorum in persecutione Antiochi. Hujus enim symbolum sunt tenebræ, frigus et gelu. Unde in Scriptura in excidio Babylonis, Samariæ, Jerusalem, etc., dicitur obscurandum non tantum dies, sed et sol, luna ac stellæ, per hyperbolen et hypallagen: quia scilicet Babylonis, Samariæ et Hierosolymis in tanta clade afflictissimis, lux obtenebrescere, ipseque sol, media licet die, obscurari videbatur. Unde explicans subdit:

7. ET ERIT DIES UNA, QUÆ NOTA EST DOMINO, NON DIES NEQUE NOX. — q. d. Veniet tempus persecutionis, quod (et cuius acerbitas) soli Deo cognitum, imo provium et prædestinatum est, in quo dies Judæis valde afflictis ob tot ærumnas, non videbitur esse dies, sed neque nox, utpote lucente sole: ergo tempus hoc medium quid erit inter diem et noctem, et quasi contemperatum ex die et nocte: habebit enim a sole lucem diem, a tyrannide vero Antiochi habebit tenebras, id est ærumnas noctis.

**ET IN TEMPORE VESPERI (Hebraice, vesperæ) ERIT ERIT LUX,** — id est, ut Tigurina: *Ad vesperam erit lux*, q. d. Ad finem hujus temporis calamitosi, quasi ad vesperam desinet hoc ejus nubium, et succedet lux felicitatis et gaudii, nimirum quando Machabeï vindicabunt civis suos, et profugabunt copias Antiochi.

Sub hoc Machabeorum typo parabolice significat, post obscuritatem et umbras legis Judaicæ, postque ignorantie tenebras, et malitiam gelu, in quibus omnes gentes ante Christum, quin et ipsi Judæi degebant, successuram lucem Evangelii Christi, in eamque quasi in vesperam desiturum diem illum obscurum judaismi, juxta illud oraculum Zachariæ: « Illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent. » *Luce* I, 79. *Et Isaia* cap. IX, 1: Surge, illuminare, Jerusalem, quia venit lumen tuum. » Hoc est quod ait Paulus *Rom.* XII, 12: « Nox præcessit, dies autem appropinquavit. » Hinc et Christus dicitur venisse in car-

nem sub finem, et quasi ad vesperam mundi. Symbolice, Theodoretus hæc refert ad diem passionis Christi: tunc enim tenebræ factæ sunt super universam terram, quæ diem quasi vertebant in noctem, ita ut dies illa proprie non esset dies, neque nox, sed participium utriusque, erantque in ea frigus. Unde Petrus stabat ad ignem calefaciens se, postquam successit clara dies resurrectionis Christi. Sic et Clemens Romanus lib. V *Constit.* cap. XIII: « Postea, ait, fuerunt tenebræ a sexta hora usque ad nonam, et rursus lux vesperæ, sicut scriptum est: Non dies, et non nox, et ad vesperam erit lux. » Sic et Eusebius lib. VI *Demonstr.* cap. XVIII. Porro frigus vel proprie accipit potest, vel metonymice pro tenebris et nocte: hæ enim sunt frigus; opponitur enim frigus luci, dum ait: « Non erit lux, sed frigus et gelu. » Ita Sanchez.

Anagogice, in tempore hujus vite non est clara lux cognitionis Dei, nec serena dies amoris cultusque Dei, tum quia per fidem ambulamus, non per speciem; tum quia ambulamus inter improbos, in quibus extincta est charitas, in ipsis quoque sanctis ob concupiscentias et tentationes, sæpe frigitur ob charitatis: at vesperæ, puta in fine mundi, erit lux æterna claritatis, quando facie ad faciem videbitur Deus deorum in Sion. Unde S. Job orabat cap. III, 3, dicens: « Pæreat dies in qua natus sum, » q. d. Pæreat dies mortalitatis, et lux immortalitatis erumpat, ait S. Gregorius ibidem. Et sponsa *Cant.* cap. II, vers. 17, optat « ut aspiret dies » æternitatis, et inclinetur umbrae temporis et mortalitatis. Hæc ergo dies lucidissima et lætissima erit sanctis et beatis, obscurissima vero et tristissima impiis et damnatis. Unde aliqui unam hæc diem autem fore quasi duplicem, scilicet « in ea non erit lux, sed frigus et gelu » improbis: eadem vero erit dies et lux probis et piis: sicut eadem dies Hebræis in Ægypto erat dies lucidissima, Ægyptiis vero nox obscurissima per plagam tenebrarum, quam Deus inflixerat. Nam, ut ait Sapient cap. XVII, 19: « Omnis orbis terrarum limpido illuminabitur lumine, etc. Sols autem illis superstitia erat gravis nox, imago tenebrarum, quæ supervertentia illis erat. » Insuper paulo ante diem iudicii erunt dies nubili et frigid, tum *physice* ob eclipses et procellas coelestes; tum *moraliter* ob errores varios et hominum impletatem, æque ac ob plagas maximas, quas Deus impiis immittit, quæ recenterunt *Apoc.* cap. VII, VIII, IX et XVI. Sed *vesperæ*, id est in fine mundi, succedet lux una clara, puta æterna dies gloria, cui nulla succedet nox. Ita S. Hieronymus, Cyrillus, Remigius, Hugo, Lyranus, Sanchez, et alii, qui arbitrantur hunc sensum esse litteralem: ego anagogicum esse censeo, sed præcipue hic intentum a Spiritu Sancto: illi enim verba textus optime congrunt. Nam sub illud tempus neque dies erit, quia sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et stellæ de

Symbolice, in resurrectione Christi.

Anagogice, in resurrectione universalis scripturæ. Primo.

Secundum



